

intelligi possit: ut prima diis immortalibus; secunda, patriæ; tertia, parentibus, deinceps gradatim reliquis debeantur. Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non solum id homines solere dubitare, honestumne an turpe sit; sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius. Hic locus a Panætio est, ut supra dixi, prætermisus. Sed jam ad reliqua pergamus.

DE OFFICIIIS

LIBER SECUNDUS.

I. QUEMADMODUM officia ducerentur ab honestate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur, ut hæc officiorum genera persequar, quæ pertinent ad vitæ cultum, et ad earum rerum, quibus utuntur homines, ¹ facultatem, ad opes, ad copias. ² In quo tum quæri dixi, quid utile, quid inutile; tum ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile. De quibus dicere aggrediar, si pauca prius de instituto, ac de judicio meo dixerò. Quanquam enim libri nostri complures non modo ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitaverunt; tamen interdum vereor, ne quibusdam bonis viris philosophiæ nomen sit invisum; mirenturque, in ea tantum me operæ et temporis ponere. Ego autem quamdiu respublica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam: quum autem dominatu unius omnia tenerentur, neque esset usquam con-

¹ Al. mss. facultates, quod placebat Pearceio. ² Multi verba hæc, In quo — maxime utile, spuria et e margine inculcata censent: desunt certe in aliquot mss.

silio aut auctoritati locus, socios denique tuendæ reipublicæ, summos viros, amissem; nec me angoribus dedidi, quibus essem confectus, nisi iis restitsem; nec rursus indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam respublica stetisset, quo cœperat, statu, nec in homines non tam commutandarum rerum, quam evertendarum cupidos, incidisset! Primum enim, ut stante republica facere solebamus, in agendo plus, quam in scribendo, operæ poneremus; deinde ipsis scriptis non ea, quæ nunc, sed actiones nostras mandavimus, ut sæpe fecimus. Quum autem respublica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illæ scilicet litteræ con-tinuerunt, forenses et senatoriæ. Nihil agere autem quum animus non posset, in his studiis ab initio versatus atatis; existimavi, honestissime molestias deponi, si me ad philosophiam retulisset. Cui quum multum adolescens, discendi causa, temporis tribuissem: postea quam honoribus inservire cœpi, meque totum reipublicæ tradidi; tantum erat philosophiæ loci, quantum superfluerat amicorum et reipublicæ temporibus. Id autem omne consumebatur in legendo: scribendi otium non erat.

¹ *Abest molestias.* ² *Temporis.*

II. Maximis igitur in malis hoc tamen boni aspectu videmur, ut ea litteris mandavimus, quæ nec satis erant nota nostris, et erant cognitione dignissima. Quid est enim, per deos! optabilius sapientia? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur, qui expetunt, philosophi nominantur: nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiæ. Sapientia autem est (ut a veteribus philosophis definitum est), rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia: cujus studium qui vituperat, haud sane intelligo, quidam sit, quod laudandum putet. Nam sive oblectatio quæritur animi, requiesque curarum: quæ conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio constantiæ virtutisque ducitur: aut hæc ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam dicere maximarum rerum artem esse, quum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis, ubi ea quæretur, quum ab hoc discendi genere discesseris? Sed hæc, quum ad philosophiam

¹ *Al. quæritur; Lactant. III, 10, discitur.*

cohortamur, accuratius disputari solent: quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbatu reipublicæ muneribus, ad hoc nos studium potissimum contulissimus.

Occurrit autem nobis, et quidem a doctis et eruditis, quærentibus, satisne constanter facere videamur, qui, quum percipi nihil posse dicamus, tamen et aliis de rebus disserere soleamus, et hoc ipso tempore præcepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, quid sequatur. Quæ enim esset ista mens, vel quæ vita potius, non modo disputandi, sed vivendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri, alia certa, alia incerta esse dicunt; sic ab his dissentientes, alia probabilia, contra, alia non probabilia esse dicimus. Quid est igitur, quod me impediatur, ea, quæ mihi probabilia videantur, sequi; quæ contra, improbæ; atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quæ a sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non possit, nisi ex utraque parte, causarum esset facta contentio. Sed hæc explanata sunt in Academicis nostris satis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quan-

quam in antiquissima nobilissimaque philosophia, Cratippo auctore, versaris, iis simillimo, qui ista præclare pepererunt: tamen hæc nostra, finitima vestris, ignota esse nolui. Sed jam ad instituta pergamus.

III. Quinque igitur rationibus propositis officii persequendi, quarum duæ ad decus honestatæque pertinent; duæ ad commoda vitæ, copias, opes, facultates; quinta ad eligendi iudicium, si quando ea, quæ dixi, pugnare inter se viderentur: honestatis pars confecta est, quam quidem tibi cupio esse notissimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur. In quo lapsa consuetudo deflexit de via, sensimque eo deducta est, ut honestatem ab utilitate secernens, et constitueret, honestum esse aliquid, quod utile non esset, et utile, quod non honestum: qua nulla perniciēs maior hominum vitæ potuit afferri. Summa quidem auctoritate philosophi, severe sane atque honeste, hæc tria genera confusa, cogitatione distinguunt. Quidquid enim iustum sit, id etiam utile esse censent; itemque quod honestum, idem iustum. Ex quo efficitur, ut, quidquid honestum sit, idem sit utile. Quod qui parum perspicunt, hi sæpe, versutos homines et callidos admirantes, malitiam, sapientiam iudicant. Quorum error eripiendus est, opinioque omnis ad

eam spem traducenda, ut honestis consiliis, justisque factis, non fraude et malitia se intelligant ea, quæ velint, consequi posse.

Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea, quæ gignuntur e terra, ut alia ejusdem generis; partim animalia, quæ habent suos impetus, et rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia. Expertes rationis, equi, boves, reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum usum atque vitam. Ratione autem utentium duo genera ponuntur: unum, deorum; alterum, hominum. Deos placatos pietas efficiet et sanctitas: proxime autem, et secundum deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt. Earumque rerum, quæ noceant, et obsint, eadem divisio est. Sed quia deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus obesse plurimum, arbitrantur. Ea enim ipsa, quæ inanima diximus, pleraque sunt hominum operis effecta, quæ nec haberemus, nisi manus et ars accessissent; nec his sine hominum administratione uteremur. Neque enim validudinis curatio, neque navigatio, neque agricultura, neque frugum fructuumque reliquorum perceptio, et conservatio, sine hominum opera, ulla esse potuisset. Jam vero et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio,

et earum, quibus egeremus, invectio, certe nulla esset, nisi his muneribus homines fungeretur. Eademque ratione nec lapides e terra exciderentur ad usum nostrum necessarii,

Nec ferrum, æs, aurum, argentum effoderetur penitus abditum,

sine hominum labore et manu.

IV. Tecta vero, quibus et frigorum vis pellere-tur, et calorum molestiæ sedarentur, unde aut initio generi humano dari potuissent, aut postea subveniri, si aut vi tempestatis, aut terræ motu, aut vetustate cecidissent, nisi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset? Adde ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos, quæ unde sine hominum opera habere possemus? Ex quibus, multisque aliis perspicuum est, qui fructus, quæque utilitates ex rebus iis, quæ sunt inanimæ, percipiuntur, eas nos nullo modo sine hominum manu atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestiis fructus, aut quæ commoditas, nisi homines adjuvarent, percipi posset? Nam et qui principes inveniendi fuerant, quam ex quaque bellua usum habere possemus, homines certe fuerant; nec hoc tempore sine ho-

minum opera aut pascere eas aut domare, aut tueri, aut tempestivos fructus ex his capere possemus: ab eisdemque et cæ, quæ nocent, interficiuntur; et quæ usui possunt esse, capiuntur. Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potuisset? Quis enim agris subveniret, quæ esset oblectatio valentium, qui victus, aut cultus, nisi tam multæ nobis artes ministrarent? Quibus rebus exulta hominum vita tantum distat a victu et cultu bestiarum. Urbes vero sine hominum cœtu non potuissent nec ædificari, nec frequentari: ex quo leges, moresque constituti; tum juris æqua descriptio, certa que vivendi disciplina. Quas res et mansuetudo animorum consecuta, et verecundia est: effectumque, ut esset vita munitior; atque ut dando, et accipiendo, mutandisque facultatibus et commodis, nulla re egeremus.

V. Longiores hoc loco sumus, quam necesse est. Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis a Panætio commemorantur, neminem neque ducem bello, nec principem domi, magnas res, et salutare sine hominum studiis gerere potuisse? Commemoratur ab eo Themistocles,

¹ Post disciplina, *edd. vet.* addunt, per quas bene beateque vivitur. *Sed omittunt optimi mss.*

Pericles, Cyrus, Agesilaus, Alexander, quos negat sine adjumentis hominum tantas res efficere potuisse. Uitur in re non dubia testibus non necessariis. Atque ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu: sic nulla tam detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur. Est Dicaearchi liber de interitu hominum, peripatetici magni et copiosi: qui, collectis ceteris causis, eluvionis, pestilentiae, vastitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera esse consumpta; deinde comparat, quanto plures delati sint homines hominum impetu, id est, bellis, aut seditionibus, quam omni reliqua calamitate.

Quum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus et prosint, et obsint: proprium hoc statuo esse virtutis, conciliare animos hominum, et ad usus suos adjungere. Itaque, quæ in rebus inanimis, quæque in usu et tractatione belluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis; hominum autem studia ad amplificationem nostrarum rerum prompta ac parata, virorum præstantium sapientia et virtute excitantur.

Et enim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur: quarum una est in perspicendo, quid in qua re verum sincerumque sit, quid consentaneum

cuique, quid consequens, ex quo quæque gignantur, quæ cujusque rei causa sit; alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant, appetitionesque, quas illi ὀρμῆς, obedientes efficere rationi; tertium, iis, quibuscum congregamur, uti moderate, et scienter, quorum studiis ea, quæ natura desiderat, expleta cumulataque habeamus; per eosdemque, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus, ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati ¹ sint, tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas humanitasque ² patiatur.

VI. Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi possimus, ut hominum studia complectamur, eaque teneamus, dicemus; neque ita multo post: sed pauca ante dicenda ³ sunt. Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res, vel adversas, quis ignorat? nam et quum prospero flatu ejus utimur, ad exitus pervehimur opatos; et quum reflavit, affligimur. Hæc igitur ipsa fortuna ceteros casus rariores habet, primum ab inanimis procellas, tempestates, naufragia, ruinas, incendia; deinde, a bestiis ictus, morsus, impetus. Hæc ergo, ut dixi, rariores. At vero interitus exercituum, ut proxime trium, sæpe multorum, clades imperatorum, ut nuper summi ac

¹ Sunt. ² Patitur. ³ Sint.

singularis viri; invidiæ præterea multitudinis, atque ob eas bene meritorum sæpe civium expulsiões, calamitates, fugæ; rursusque secundæ res, honores, imperia, victoriæ, quanquam fortuita sunt, tamen sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt.

Hoc igitur cognito, dicendum est, quoniam modo hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare possimus. Quæ si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur. Ita fortassis brevior videbitur.

Quæcumque igitur homines homini tribuunt ad eum augetum atque honestandum, aut benivolentiæ gratia faciunt, quum aliqua de causa quempiam diligunt; aut honoris, si ejus virtutem suspiciant, quemque dignum fortuna quam amplissima putant; aut cui fidem habent, et bene rebus suis consulere arbitrantur; aut cujus opes metuunt; aut contra, a quibus aliquid expectant, ut quum reges, popularesve homines, largitiones aliquas proponunt; aut postremo, pretio ac mercede ducuntur: quæ sordidissima est illa quidem ratio, et inquinatissima, et his, qui ea tenentur, et illis, qui ad eam confugere conantur. Male enim se res habet, quum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed quoniam nonnunquam hoc subsidium necessarium est: quemadmodum sit uten-

dum eo, dicemus, si prius iis de rebus, quæ virtuti propiores sunt, dixerimus. Atque etiam subiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis pluribus. Ducuntur enim aut benivolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præstantia, aut spe, sibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut spe largitionis, promissisque capti, aut postremo, ut sæpe in nostra republica videmus, mercede conducti.

VII. Omnium autem rerum nec aptius est quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligere; nec alienius, quam timeri. Præclare enim Ennius: « Quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periisse expetit. » Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. Nec vero hujus tyranni solum, quem armis oppressa pertulit civitas, patretque quum maxime mortuo, interitus declarat, quantum odium hominum valeat ad pestem; sed reliquorum similes exitus tyrannorum: quorum haud fere quisquam interitus talem effugit. Malus enim custos diuturnitatis metus; contraque, benivolentia fidelis est vel ad perpetuitatem. Sed iis, qui vi oppressos imperio coercere, sit sane adhibenda sævitia, ut heris in famulos, si aliter

• Similem.

teneri non possunt: qui vero in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur; his nihil esse potest dementius. Quamvis enim demersæ sint leges aliqujus opibus, quamvis timefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando aut iudicii tacitis, aut occultis de honore suffragiis. Acriores autem morsus sunt intermissæ libertatis, quam retentæ. Quod igitur latissime patet, neque ad incolumitatem solum, sed etiam ad opes et potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur. Ita facillime, quæ volemus, et privatis in rebus, et in republica consequemur. Etenim, qui se metui volent, a quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi, necesse est. Quid enim censemus superiorem illam Dionysium, quo cruciati timoris angere solitum? qui cultros metuens tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum. Quid? Alexandrum Pheræum, quo animo vixisse arbitramur? qui, ut scriptum legitur, quum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, et cum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threiciis, destrieto gladio jubebat anteire; præmittebatque de stipatoribus suis, qui scrutarentur arculas muliebres, et, ne quod in

• Volumus.

vestmentis occultaretur telum, exquirerent. O miserum, qui fidiorem et barbarum et stigmatiam putaret, quam conjugem! nec eum fefellit. Ab ea enim est ipse, propter pellicatus suspicionem, interfectus. Nec vero ulla vis imperii tanta est, quæ, premente metu, possit esse diuturna. Testis est Phalaris, cuius est præter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex insidiis interiit, ut is, quem modo dixi, Alexander; non a paucis, ut hic noster; sed in quem universa Agrigentinarum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt, universique se ad Pyrrhum contulerunt? Quid, Lacedæmonios injuste imperantes, nonne repente omnes fere socii deseruerunt, spectatoresque se otiosos præbuerunt Leucricæ calamitatis?

VIII. Externa libentius in tali re, quam domestica, recordor. Verumtamen quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non injuriis, bella aut pro sociis, aut de imperio gerebantur: exitus erant bellorum aut mites, aut necessarij. Regum, populorum, nationum portus erat et refugium, senatus. Nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios æquitate et fide defendissent. Itaque illud patrociniû orbis terræ verius, quam imperium poterat nominari.

Sensim hanc consuetudinem et disciplinam jam antea minuebamus; post vero Sullæ victoriam penitus amisimus. Desitum est enim videri quidquam in socios iniquum, quum exstitisset in cives tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria. Est enim ausus dicere, hasta posita, quum bona in foro venderet et bonorum virorum, et locupletum, et certe civium, prædam suam se vendere. Secutus est, qui in causa impia, victoria etiam fœdiore, non singulorum civium bona publicaret, sed universas provincias regionesque ¹ uno calamitatis jure comprehenderet. Itaque, vexatis et perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus, et ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri imperatores ² ex Transalpinis bellis triumpharunt. Multa præterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno sol quidquam vidisset indignius. Jure igitur plectimur. Nisi enim multorum impunita scelera tulissemus, nunquam ad unum tanta pervenisset licentia: a quo quidem rei familiaris, ad paucos; cupiditatum, ad multos improbos venit hereditas. Nec vero unquam bellorum civilium semen et

¹ *Edd. vet.* uno calamitatis genere. ² *J. F. Heusinger conjicit Tullium scripsisse tantum, ex Transalpinis triumpharunt.*

causa deerit, dum homines perditam hastam illam cruentam et meminerint, et sperabunt; quam P. Sulla quum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem, sexto tricesimo anno post, a sceleratiore hasta non recessit. Alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quæstor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus præmiis propositis, nunquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis modo stant et manent, iique ipsi jam extrema scelera metuentes; rem vero publicam penitus amisimus.

Atque in has clades incidimus (redeundum est enim ad propositum), dum metui, quam cari esse et diligere maluimus. Quæ si populo Romano injuste imperanti accidere potuerunt, quid debent putare singuli?

Quod quum perspicuum sit, benivolentiæ vim esse magnam; metus, imbecillam: sequitur, ut disseramus, quibus rebus possimus facillime eam, quam volumus, adipisci cum honore et fide caritatem. Sed ea non pariter omnes egemus. Nam ad cuiusque vitam ¹ institutam accommodandum est, a multisne opus sit, an satis, a paucis diligere. Certum igitur hoc sit, idque et primum et maxime necessarium, familiaritates habere fidas amantium

¹ Instituendam.

nos amicorum, et nostra mirantium. Hæc enim est una res proorsus, ut non multum differat inter summos et mediocres viros; eaque utrisque est propemodum comparanda. Honore, et gloria, et benivolentia civium fortasse non æque omnes egent; sed tamen si cui hæc suppetunt, adjuvant aliquantum tum ad cetera, tum ad amicitias comparandas.

IX. Sed de amicitia alio libro dictum est, qui inscribitur Lælius. Nunc dicamus de gloria: quam ea quoque de re duo sunt nostri libri; sed attingamus, quandoquidem ea in rebus majoribus administrandis adjuvat plurimum.

Summa igitur et perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo; si fidem habet; si cum admiratione quadam honore dignos putat. Hæc autem, si est simpliciter breviterque dicendum, quibus rebus ¹ parantur a singulis, eisdem fere a multitudine. Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tanquam influere possimus.

Ac primum de illis tribus, quæ ante dixi benivolentiæ præcepta, videamus: quæ quidem beneficiis capitur maxime; secundo autem loco benefica voluntate benivolentia movetur, etiam si res

¹ Sic optimi codd. Lallem. post al. pariuntur.

forte non suppetit. Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiæ, justitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus, quia per se nobis placet, animosque omnium natura et specie sua commovet, maximeque quasi perlucet ex eis, quas commemoravi, virtutibus: idcirco illos, in quibus eas virtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur. Atque hæc quidem causæ diligendi gravissimæ: possunt enim præterea nonnullæ esse leviores.

Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam. Nam et iis fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos, arbitramur, quosque et futura prospicere credimus, et quum res agatur, in discrimenque ventum sit, expedire rem, et consilium ex tempore capere posse. Hanc enim utilem omnes existimant veramque prudentiam. Justis autem et fidis hominibus, id est, bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis injuriæque suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos, rectissime committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem faciendam justitia plus pollet: quippe quum ea sine prudentia satis

habeat auctoritatis, prudentia sine justitia nihil valeat ad faciendam fidem. Quo enim quis versutior, et callidior est; hoc invisior, et suspectior, detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ justitiæ conjuncta, quantum volet, habebit ad faciendam fidem virium. Justitia sine prudentia multum poterit: sine justitia nihil valebit prudentia.

X. Sed, ne quis sit admiratus, cur, quum inter omnes philosophos constet, a meque ipso sæpe disputatum sit, qui unam haberet, omnes habere virtutes, nunc ita sejungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, justus esse: alia est illa, quum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, quum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios bonos viros, alios prudentes dicamus. Popularibus enim verbis est agendum, et usitatis, quum loquimur de opinione populari, idque eodem modo fecit Panætius. Sed ad propositum revertamur.

Erat igitur ex tribus, quæ ad gloriam pertinent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum, honore ab iis digni judicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quæ magna, et præter opinionem suam animadverterunt; sepa-

ratum autem in singulis, si perspiciunt nec opinata quædam bona. Itaque eos viros suspiciunt, maximisque efferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam et singulares virtutes perspicere; despiciunt autem eos, et contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male existimant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, et ad faciendam injuriam instructos, eos contemnunt quidem neatiquam, sed de his male existimant. Quamobrem, ut ante dixi, contemnuntur ii, qui nec sibi, nec alteri, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est. Admiratione afficiuntur ii, qui antea ceteros virtute putantur, et quum omni carere dedecore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt obistere. Nam et voluptates, blandissimæ dominæ, majores partes animi a virtute detorquent; et dolorum quum admoventur faces, præter modum plerique exterrantur: vita, mors, divitiæ, paupertas, omnes homines vehementissime permovent. Quæ qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt, quumque aliqua his ampla, et honesta res objecta est, totos ad se convertit et rapit, tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?

XI. Ergo et hæc animi despicientia admirabilitatem magnam facit; et maxime justitiæ (ex qua una virtute viri boni appellantur) mirifica quædam multitudini videtur: nec injuria. Nemo enim justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exsilium, qui egestatem timet, aut qui ea, quæ his sunt contraria, æquitati anteposit. Maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur: quod in quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur. Itaque illa tria, quæ proposita sunt ad gloriam, omnia justitiæ conficit: et benevolentiam, quod prodesse vult plurimis; et ob eandem causam, fidem; et admirationem, quod eas res spernit et negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

Ac mea quidem sententia omnis ratio atque institutio vitæ adjumenta hominum desiderat; in primisque, ut habeas, quibuscum possis familiares conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem præ te boni viri feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti, opinio justitiæ necessaria est: eoque etiam magis, quod si eam non habebunt, injusti habebuntur; nullis præiudiciis septi, multis afficientur injuriis. Atque iis etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, justitiæ ad rem gerendam necessaria est. Cujus tanta vis est,

ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere. Nam qui eorum cuiquam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit; is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum: ille autem, qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut interficiatur a sociis, aut relinquatur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem, et Bardylis Illyrius latro, de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit; et multo majores Viriatus Lusitanus: cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt; quem C. Lælius, is, qui sapiens usurpatur, prætor fregit et comminuit; ferocitatemque ejus ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet. Quum igitur tanta vis justitiæ sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat, quantam ejus vim inter leges et judicia, in constituta republica fore putamus?

XII. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud majores nostros, justitiæ fruendæ causa videntur olim bene morati reges constituti. Nam quum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant: ad unum aliquem confugiebant, virtute præstantem; qui quum prohiberet injuria tenuiores, æquitate

constituenda summos cum infimis pari jure¹ retinebat. Eademque constituendarum legum fuit causa, quæ regum. Jus enim semper quæsitum est æquabile: neque enim aliter esset jus. Id si ab uno justo et bono viro consequerentur, eo erant contenti. Quum id minus contingeret, leges sunt inventæ, quæ cum omnibus semper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de justitiâ magna esset opinio multitudinis. Adjuncto vero, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non posse consequi se arbitarentur. Omni igitur ratione colenda et retinenda justitiâ est, tum ipsa propter sese; nam aliter justitiâ non esset: tum propter amplificationem honoris et gloriæ. Sed ut pecuniæ non quærendæ solum ratio est, sed etiam collocandæ, quæ perpetuos sumtus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales: sic gloria et quærenda, et collocanda ratione est. Quanquam præclare Socrates, hanc viam ad gloriam proximam, et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, et inani ostentatione, et ficto non modo sermone, sed etiam

¹ *Al. hauriunt e mss. continebat; al. tenebat.*